15

DE

MAXILLAE INFERIORIS

MONSTROSA PARVITATE ET DEFECTU.

COMMENTATIO

ANATOMICO-PATHOLOGICA

AUCTORE

ERNESTO LUDOVICO SCHUBARTH

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORE.

ACCEDUNT TABULAE AENEAE DUAE.

FRANCOFURTHI A. V.

PROSTAT IN BIBLIOPOLIO HOFFMANNIANO.

MDCCCXIX.

Sunt maxime memorabilia quae maxime inspectata. Plin. Histor. Nat.

VIRO

ILLUSTRISSIMO AC GENEROSISSIMO

ARMINIO ROCHO COMITI DE LYNAR

DOMINO COMITATUS LUEBBENAVIENSIS, BUCKOVII, MEGALO-LUEBBENAVII, SEESE, MLODE, LICHTENAVII, GOERITZ ET DUBRAVII ETC.

BONARUM ARTIUM CULTORI ET PATRONO FAUTORI MEO ET AMICO PLURIMUM RECOLENDO PARVUM HOC MUNUS

ANIMO SINCERO GRATOQUE

D. D. D.

AUCTOR.

PRAEFAMEN.

Saepenumero meditanti, quodnam ex largo artis nostrae penu ad conscribendam dissertationem inauguralem argumentum depromerem, in mentem mihi obvenit, cum magnum viderem dissertationum gregem, quae de physiologicis, pathologicis, therapeuticisve rebus sunt scriptae, anatomes quoddam caput, minus adhuc excultum et lucubratum, propria assiduitate et labore dilucidare. Tirones etenim in physiologicis et therapeuticis argumentis, cum longius artis medicae studium, accuratior et strenua singularum rerum perscrutatio et observandi dexteritas deficiant, nihil aliud plerumque faciunt, quam observationes virorum doctorum in libris prolatas colligunt, inter se comparant, in unum finem redigunt, et proprio Marte vix aliud scriptiunculae addunt nisi formam externam. Quod scribendi genus non omni quidem caret occasione ingenii vim et acumen insitum et doctrinam studiis academicis acquisitam cum laude ostendendi, videtur tamen mihi non plane aptum esse dissertationibus academicis. Quare consilium cepi de anatomico argumento in dissertatione inaugurali disserendi, cum occasio haud raro obveniat rem novam et prorsus incognitam, aut breviter tantum vel minus accurate descriptam, indagatione assidua inquirendi et ex comparatione cum casibus similibus ratiocinando observationes haud inutiles publico virorum doctorum examini submittendi. Cum praeterea museum anatomicum, Regia munificentia usui publico dicatum, praeter multifaria praeparata fabricam corporis humani normalem ostendentia largam quoque depravatae et monstrosae formae et structurae exemplorum copiam

contineat, nullus dubitavi quin ad genus quoddam deformitatum disquirendum et describendum me accingerem. Hunc in finem Virum Illustrem et Amplissimum Rudolphium adii, qui eximia benevolentia ac humanitate preces meas suscepit, et copiam fecit indagationem aliquot praeparatorum instituendi.

Sunt enim inter magnam monstrorum humanorum animaliumque, quae in museo anatomico prostant, cohortem compluria quoque individua, quibus inferior maxilla aut plane deficit aut maximopere destructa et deformis reperitur: duo scilicet foetus humani, canis neonatus, et capita tria ovium recens natarum quarum descriptio paginis sequentibus exhibebitur. Historiis casuum ex anatomico Museo desumtorum brevem maxillae inferioris deformitatum conspectum praemittamus, sub finem autem casuum a nobis observatorum comparationem et enarrationem similium instituamus. Praeterea monendum est, delineationes capitum monstrosorum foetuumque, quae aeri incisae huic scriptiunculae sunt adjectae, amici mei dilectissimi ac commilitonis Weesii labore esse factas, qui multum versatus est in rebus anatomicis delineandis. Viris tandem Amplissimis, Illustri Rudolphio et Clarissimo Rosenthalio, quorum consilio et adjumento compluria debeo, gratias quam maximas ago. Candidos denique lectores vehementer cupio rogatos, velint si quando errore inductus a justo tramite aberraverim mihi parum adhuc literis versato ignoscere, et juvenile hocce opusculum severiori censurae non submittere.

CAPUT I.

PROLEGOMENA.

§. 1.

De maxillae inferioris deformitatibus in universum.

Maxilla arcuata prominens, magnum humani generis decus, variis obnoxia est deformitatibus, quae plus minusve hanc deturpant, faciemque humanam corrumpunt; ossium enim morbi satis noti maxillae minime parcunt.

Rhachitis, cylindricis praecipue ossibus infesta, alveolorum maxillae evolutionem teneris jamjam annis impedit justumque ordinem invertit, et dentes una laedit; quid quod cerea vere sit inventa maxilla, quae flecti poterat, dentibus vero carens. [1]) Nec minus scrophulosus morbus vim suam in maxillam exercet: *Portalius* in juvene 15 annorum tantam observavit mollitiem ut cultro facillime dissecari potuerit. [2]) Carie quoque, quam scrophulae, scorbutus, lues venerea, [3]) aliique morbi hanc in corruptionem terminati producunt, maxilla saepe exeditur, quorum exemplorum sat magna copia ex scriptoribus pathologicis et therapeuticis et Museorum anatomicorum descriptionibus petenda est. Tophi nodique variis causis effecti, plerumque a syphilide et arthritide in maxilla conspiciuntur. Virus cancrosum, cum faciem prae ceteris partibus pestis haec detestabilis amet, saepius eandem destruit; [4]) carneae maxillae specimina osteosarcosi producta *Acrell* et *Colomb* proponunt. [5]) Exostoses haud raro inveniuntur, quarum Museum *Meckelianum* exempla duo memorabilia continet; [6]) callus quoque nonnunquam formam maxillae immutat. [7]).

---

1) *Veirac Abhandlungen über die englische Krankheit v. Keup.* 1794. *Seite* 155.

2) Observations sur la nature de Rachitisme 1797.

3) Museum Walterianum Parte II. No. 2329 et 31.

4) Ibidem No. 2309 ad 19 usque omnia fere exempla maxillam cancroso viru arrosam testantur.

5) *Acrell chirurgische Vorfälle v. Murray. B.* 1 *Seite* 95.
Colomb medizinisch-chirurgische Werke v. Harke B. I. *Seite* 72.

6) *Voigtel pathologische Anatomie B.* 1 *Seite* 172.
Museum Walterianum Parte II. No. 2490. Exostosis in equi maxilla exemplum idem Museum offert. No. 2532.

7) Vide Mus. Walterianum p. II. No. 2429.

§. 2.

Praevia necrosi maxillam novam vi naturae plastica factam testantur: *Acrell* [1]) *Henkel* [2]) *Weidmann* [3]) *Desault* [4]) aliique complures medici. Ancylosis effusa materia ossea maxillam immobilem reddit, cujus mali specimina Musea anatomica *Walterianum*, [5]) *Meckelianum* et alii scriptores exhibent, uti *Columbus*, [6]) *Connor*, [7]) *Eustachius*, [8]) *Schenk*, [9]) *Sandifort*, [10]) *Köhler*. [11]). Fracturae denique haud raro a chirurgis sunt observatae, aut internis causis, lue venerea, scorbuto, rhachitide etc. aut externis oriundae. In senibus maxilla atteritur, dentibus elapsis alveoli absorbentur et clauduntur, latitudo totius ossis imminuitur, ita ut facies inde valde immutetur; hujus attritionis specimina pete ex museo *Walteriano*.

§. 3.

Maxilla inferior praeterea et nimia magnitudine [12]) et parvitate a forma normali potest secedere, quae vitia in foetu reperiuntur, unde fabulae originem duxerunt, foetus editos esse elephantum, piscium aliorumque animalium capita prae se ferentes, quarum nugarum exempla ex *Liceto* pete, inclyto de monstris scriptore. [13]) Sequuntur nunc historiae casuum ex Museo anatomico desumtorum, ubi aut nimis parva, aut vere nulla est inventa maxilla.

---

1) L. c. pag. 192.

2) *Neue medizinisch-chirurgische Anmerkungen B. 2, und* ***Richters chirurg. Biblioth. B. 2, Stück*** 3, *Seite* 42.

3) Tractatus de necrosi ossium 1793.

4) *Auserlesene chirurgische Wahrnehmungen B.* 4, *Seite* 14.

5) Partis II. No. 2268 ex carie praegressa, 69 maxilla inferior ossi zygomatico conjuncta, porro et 2467.

6) De re anatomica Libr. V. pag. 484.

7) De stupendo ossium coalitu 1695, pag. 4.

8) De dentibus cap. 28, pag. 92.

9) Observationes medicae 1584, p. 441.

10) Exercitationes academicae Libr. II cap. 5. Observat. anatomic. pathologic. Libr. I. pag. 102. Museum anatomic. Vol. I. pag. 149.

11) *Beschreibung des Loderschen anatomischen Kabinets B.* 1, ***Seite*** 3.

12) *Köhler Beschreibung l. c. pag.* 50. Maxilla latitudinem pollicum trium habet.

13) Licetus de monstris 1665. Praeterea huc pertinent: Buechner Miscellanea physico-medica pag. 1212. Nigrosoli Giornale 1690 pag. 219.

CAPUT II.

DESCRIPTIO CANIS MONSTROSI.

§. 1.

Habitus externus.

Canis familiaris (Tabul. I Figura I) recens natus, masculus, justam corporis longitudinem habet, et praeter caput monstrosum reliqua membra rite conformata oculo perscrutanti exhibet. Caput ipsum magnitudinem consuetam non excedit, est vero globosum et rotundum contra naturae leges, quae ovalem capiti formam constituunt, pilis obtectum excepta parte anteriore (faciali), ubi rariores et paene nulli sunt. Integumenta capitis communia antrorsum, ubi maxilla superior in capite legitimae conformationis invenitur, corrugata sunt, et arcuatum quasi marginem efficiunt. In utroque capitis latere aures externae consueto loco positae hoc solummodo a typo normali aberrant, quod aëri nullum ad internum auditus organon praebeant accessum. Cutis inter aures infra illum marginem facialem plicata, singulis plicis corpora glandulis (confer Tab. I Fig. I a) simplicibus haud absimilia sunt interjecta, quae vero potius ex tela cutis cellulosa conflata. Oculorum, palpebrarum, partiumque ad lacrymarum secretionem et absorptionem pertinentium, porro meatus auditorii externi, narium ne minimum quidem vestigium hoc in capite invenitur. Praeter ossium maxillam superiorem constituentium defectum inferior quoque maxilla omnino abesse videtur, quae tamen alio loco recondita haeret; nullum denique oris cavum, palatum neque dentes observantur, quarum partium defectu tota facies depravata est, ut, cum calvariae solum ossa invenirentur, caput inde globosam figuram nactum sit.

Integumenta capitis communia priusquam ad collum transeunt profundam rimam (Fig. I b) efformant, cujus media parte foramen conspicitur, quo pharynx et larynx finiuntur. Collum ipsum paulo infra hanc rimam laryngis regione prominet, ceteroquin a normali habitu haud alienum est. Reliqui corporis, cum nihil vitiosi appareat, descriptionem omittimus.

§. 2.

Musculorum capitis brevis descriptio.

Galea aponeurotica fibris muscularibus tecta erat, quae subcutaneae vocandae. Remota galea transversalem invenimus musculum largis fibris contextum, quae in magnum spatium expansae ab uno osse parietali ad alterum transversim erant positae. Non solum parietalia ossa maxima ex parte musculus obtegebat, sed frontale quoque et alas magnas ossis sphenoidei, temporum imo ossa attingebat. Ex pluribus faciei musculis inter se nexis verosimillime transversalis hic musculus compositus est, quare subcutanei transversi nomine eum insigniemus. Posteriore capitis parte musculos occipitales et reliquos vidimus qui occiput cum vertebris conjungunt, et, cum partes capitis posteriores non sint vitiosae, nullam quoque harum partium anomaliam observavimus. Musculi porro ad mastoideum et styloideum et processus transversos vertebrarum affixi justo numero ac decursu sunt inventi.

§. 3.

Ossium capitis descriptio.

Os Occipitis. (Praemonendum est, omnes suturas in hoc foetu, quae aliquantisper jam coierant, squamosas esse, quare hujus rei in singulis suturis nulla fiet mentio. Confer Tab. I Fig. II). [1]) Pars occipitalis triangularis, circumferentiae normalis, latere utroque sutura lambdoidea cum bregmatis ossibus est conjuncta. Protuberantia externa, linea semicircularis et crista perpendicularis musculis affigendis destinatae valde jam excultae sunt. Condyloideae partes ab occipitali, uti in foetu mos est, separatae cum temporum ossibus conjunctae. Basilarem partem cum sphenoideo osse conglutinatam, cum caput columnae vertebrarum demere non liceat, describere non possumus.

§. 4.

Ossa bregmatis.

Margine superiore ambo per suturam sagittalem coëunt, in vertice vero dehiscunt (bb) et cum parte frontali ossis frontis conjuncta fonticulum magnum

---

1) Omnes litterae ad explicationem partium usitatae hoc in capite ad secundam figuram sunt referendae.

formant, periostio et dura menynge obvelatum. (a) Quo formato ossa parietalia margine frontali seu anteriore magis magisque sunt divaricata, quippe cum os frontis cunei instar ambo disjungeret; paulo infra cum alis magnis ossis sphenoidei sutura coeunt, quae, cum alae nimia gaudeant extensione, et ipsa solito longior est. Margine inferiore cum parte squamosa ossis temporum, posteriore cum occipitali parte et condyloideis ossis occipitis conjuncta. Tubera parietalia satis exculta vidimus.

§. 5.

Os frontis.

In foetu nostro, si cum eodem osse in capite normali canis neonati comparatur, valdopere mutatum et monstrosum conspicitur. Pars frontalis rotunda, (c) magnitudine lentis majoris, nulla sutura divisa, marginibus sagittalibus ossibus bregmatis annexa. Ab hac parte frontali processus duo (dd) parietalibus ossibus interjecti descendunt, qui orbitalibus processibus simillimi, in latitudinem paulatim accrescunt, et cum alis magnis ossis sphenoidei ex aliqua parte cohaerent. Hi processus orbitales a se invicem non sunt disjuncti, sed lamina ossea nexi, quae fossam inter ambos processus format, cujus loco in capite normali excisura ethmoidalis conspicitur. Fossa haec fibris muscularibus (e) est expleta, quae a parte frontali oriuntur, et sub alis magnis descendunt; ubi autem finiantur, cum caput dissecare non licuerit, dicere non possumus. Fibras has musculares musculorum ad nasum labiumve superius pertinentium rudimentum esse putamus.

§. 6.

Os sphenoideum.

Eximiam in hoc capitulo monstroso extensionem et magnitudinem habet ut omnem fere partem capitis anteriorem efformet, cum omnis maxilla superior deficiat, quare ab osse sphenoideo globosa capitis forma pendet. Alae magnae marginibus internis inter se (g) junctae conspiciuntur, ut ambae unum solummodo os constituant, cujus parti mediae ossiculum formae paene rhomboidalis superimpositum est. (g*) Margine superiore alae magnae cum inferiore proces-

suum orbitalium margine se conjungunt, plurimum vero una cum ossibus parietalibus et processibus orbitalibus ossis frontis ad formanda foramina in latere quovis faciunt. Quae foramina fonticulorum ad instar periosteo externo et cerebri menyngibus obvelata, uti ex capitis totius conformatione elucet, orbitarum sunt rudimenta. (f) Margine externo alae magnae cum parietalibus ossibus cohaerent, inferiore cum parte squamosa ossis temporum. Hic praeterea arcus zygomatici, ab osse temporum oriundi et ad alas magnas media fere parte, ubi ambae coalescunt, finiti conspiciuntur reliquiae. Arcus hic zygomaticus, sin alias hoc nomen mereatur, ab alis non distat, sed his quasi agglutinatus est, ut levis tantum fossa superiore parte relinquatur. Margo alarum inferior arcuatus est, latere utroque ad bullas osseas ossis temporum vergit. Huic margini lamina ossea (h) per membranosas aut ligamentosas partes affixa est, arcuata, mobilis, tenera, quae, cum parti basilari ossis sphenoidei subter sit conjuncta, pro ensiformibus processibus seu alis minoribus inter se connatis habenda est. Pars basilaris sublata lamina mobili inter bullas conspicitur.

§. 7.

Ossa temporum.

Descriptis huc usque ossibus sunt interjecta. Pars squamosa cum ossibus parietalibus et alis magnis sphenoidei sutura squamosa, mastoidea occipitali parti ossis occipitis est conjuncta. Processibus mastoideo (ii) et styloideo musculi colli sunt affixi, huic et cornu minus ossis hyoidei ligamento annexum, quod in mammalibus seriore tempore osseum fit, et styloideum os vocatur. Infra latere utroque bulla ossea (kk) seu pars temporum petrosa videbatur, cornu seu potius clavi ad instar torta, quibus bullis pars basilaris ossis sphenoidei interposita.

§. 8.

Pharynge, cujus supra mentionem fecimus, dissecto *maxillam inferiorem* (l) sub illo reflexam invenimus, valde exiguam, teneram, situ fere perpendiculari, structurae prorsus alienae. Maxilla enim humanae instar ex una diaphysi constat, et arcum satis amplum exhibet, cum in mammalihus maxilla ex partibus duabus in angulum acutum coëuntibus sit composita. Medio arcu diaphysis cras-

crassior est, et processus duos spinosos breves margine inferiore emittit, cornua ambo in fine crassiora fiunt, et condylos quasi imitantur. Mandibula ipsa temporum ossibus levissime tantum adhaerebat, bullis eorundem ossium superincumbens; ceterum maxilla non libere dependebat, sed parieti pharyngis posteriori tela cellulosa affixa erat.

§. 9.

Capitis ossibus addamus *os hyoides*, (n, o, p.) quod sine ullo vitio est inventum; cornua majora (p p) cum cartilagine thyreoidea, minora (o o) cum processibus styloideis per ligamenta (m m) sunt conjuncta, quibus glandula thyreoidea interjecta. Hyoideo ossi membranis musculisque affixa est *lingua*, in pharynge recondita, longitudinis justae, apex sursum spectabat, radix deorsum, si protraheretur loco consueto posita fuisset. [1]) Ceterae partes uti larynx, trachea, oesophagus, musculi ad laryngem et os hyoideum pertinentes sine vitio conspeximus, quare et pectus et abdomen intacta reliquimus.

§. 10.

Finita capitis descriptione pauca de universa illius conformatione adjiciamus. Caput nimirum ex solis calvariae ossibus, quibus ethmoideum deest, conflatum, cum ne minimum quidem faciei ossiculum appareat, quo fit, ut forma globosa evadat, calvariae propria, et caput ipsum calvaria optimo sensu sit appellandum. Hinc quoque elucet cur alae magnae ossis sphenoidei valdopere sint protrusae et magnitudine exauctae, quod scilicet calvariam ossium facialium defectu antrorsum apertam praecludere deberent. Ex eadem causa et os frontis, in capite normali majoris expansionis, tam parvum est, quod illorum ossium defectu processus nasalis, in capite normali longe alias prominens, non est efformatus. Deficiunt in hoc capitulo sequentia ossa: Ethmoideum, nasalia, lacrymalia, maxillaria superiora, intermaxillaria, zygomatica, palatina, turbinata, vomer, (dentes) ideoque et oris et narium cava, et orbitae. Peculiari tandem deformitate mandibula vitiosae quidem, ut docuimus, structurae reflexa pharynge obtecta pendebat, ut primo intuitu sectione nulla instituta facile possis induci mandibulam plane deficere.

---

[1]) Eodem modo lingua in ranis est posita: vide Cari Zootomiam pag. 510.

CAPUT III.

DESCRIPTIO OVIS MONSTROSAE.

§. 1.

Habitus externus.

Agnus hic capitibus et collis duobus editus est, simplici columnae vertebrarum annexis. Unum caput legitime conformatum, (latitudo maxima $2\frac{1}{2}$ pollices, longitudo $4\frac{1}{2}$ p. parisinos explebat) alterum vero monstrosum, justo minus, similem structuram ostendit quam caput canis paulo ante descriptum, (latitudo maxima $1\frac{5}{8}$ pollices, longitudo 3 pollices paris. habebat.) Integumenta capitis communia villis ubique obsita, aures externae infra locum consuetum collo appositae; figura normali; nulli vero oculi, nec os, quamvis partes osseae maxillae superiori similes prominerent, nec mandibula, nec palatum, dentes et lingua inventa. Similis autem rima profunda aderat, qualem in catulo jam descripsimus, perforata, ad pharyngem et laryngem ducens. Utrumque collum, habitu ceteroquin externo normali, ultima colli vertebra in unum thoracem coëunt. Thorax, abdomen, extremitates omni omnino vitio carent, quapropter, omissa harum partium descriptione, ad ossa capitis monstrosi accedamus; Caput utrumque septem vertebris colli impositum.

§. 2.

Ossium capitis descriptio.

Os occipitis. Pars occipitalis (Confer Tab. I. Fig. III. a) [1]) sutura lambdoidea, rotunda fere, cum marginibus posterioribus ossium bregmatis, et media hujus suturae parte cum ossibus duobus transversis, (i) inter se per suturam junctis, (quae in capite humano triquetra seu Wormiana vocantur,) est conjuncta. Margine inferiore cum partibus squamosis temporum et condyloideis ossis occipitis nexa, quae separatae adhuc erant a reliquis occipitis partibus. Portio ipsa occipitalis protuberantiam externam valde elatam, lineas semicirculares (b) et

1) Litterae usitatae hoc in capite ad tertiam omnes referendae sunt figuram.

cristam perpendicularem habet, musculis affigendis destinatas. Partes condyloideae figurae oblongae (c) margine superiore cum parte occipitali, anteriore cum partibus squamosis et mastoideis, inferiore margine cum partibus petrosis ossium temporum et basilari ossis occipitis sunt junctae, ipsae brevi quoque sutura inter se nexae una cum parte basilari foramen magnum formant. Condylos (f) satis prominentes cartilagine tectos, fossam (d) et foramina condyloidea posteriora, (e) et mastoideos processus (g) ab osse occipitis oriundos justo loco positos vidimus. Pars basilaris, condyloideis interjecta, partibus petrosis temporum adjacet, cum corpore ossis sphenoidei conjuncta.

§. 3.

Ossa bregmatis

Sutura sagittali inter se juncta (k) ossa duo transversa eadem sutura nexa parti occipitali occipitis apposita circumdant. Sutura coronali cum osse frontis, margine posteriore cum parte occipitali ossis occipitis et squamosis partibus temporum, inferiore cum alis magnis et ex parte quoque cum processibus ensiformibus cohaerent. Tubera leviter tantum prominent.

§. 4.

Os frontis

Tubera satis elata forma mamillari et suturae frontalis a vertice descendentis breve tantum vestigium offert. (t) Sutura coronali cum ossibus bregmatis tam intime junctum est, ut fonticulus magnus nullus vere appareat. Margines orbitales acuti foramina supraorbitalia ostendunt, parte posteriore in zygomaticos processus breves excurrunt, antrorsum vero in nasalem. (u) Orbitales processus extensionis justo minoris processibus ensiformibus ossis sphenoidei junctos vidimus, quibus tamen cartilagine solum erant agglutinati.

§. 5.

Ossa temporum

A statu normali valdopere quoque discrepant. Pars squamosa (h) facie externa aspera, forma parallelopipedi, latitudinis minimae est inventa. Margine

superiore cum parte occipitali, posteriore cum mastoideis ossis occipitis est conjuncta, antrorsum cum ossibus bregmatis, infra cum parte petrosa. Reliquae ossium temporum partes tam parum sunt expressae, ut bulla ossea vix prominеret et processus styloidei nulli apparerent.

§. 6.

Os sphenoideum

Conformationis mirae, longitudinis eximiae, et in latere utroque inaequalis expansionis est inventum. Pars basilaris seu corpus ab alis magnis externe tecta vix potest conspici, in calvaria autem interna clivum et sellam turcicam vidimus. Corpus margine posteriori cum parte basilari ossis occipitis conjunctum, antrorsum trans sellam in processum styliformem se extendit, (o) ex quo alae parvae se evolvunt. Hic stylus, seu potius trabecula ossea, ab alis magnis quo loco e corpore ossis sphenoidei exit obtectus est. Alae magnae quoad magnitudinem in latere quovis sibi non respondent, dextra enim altius adscendit (ll) et cum parte squamosa ossis temporum longiori spatio connexa, itidemque cum osse parietali. Prope ad partem squamosam in ala dextra foramen invenimus parvum, quod in sinistra non est repertum, porro cristam quoque, quae in processum exit, pterygoideo haud absimilem, (m) ab ala ipsa parum distantem. Ala sinistra temporum os vix attingit ossi parietali per suturam juncta, ceterum nullum processus pterygoidei vestigium inveni. Alae duae media parte in unum os connatae partem basilarem tegunt; prope finem, ubi alae parti basilari ossis occipitis adjacent, foramina duo rotunda conspeximus, quae ovalibus sic dictis optime respondent. (n) Antrorsum alae stylum, de quo supra jam dictum est, obtegunt, quo loco lamina ossea cartilagine mobili suspensa haeret, quae latere utroque per ligamenta processibus zygomaticis ossis frontis affixa est, quam autem *ossium zygomaticorum rudimentum* esse conjicimus. (s) Alae parvae (r) ex stylo se evolvunt, et ossibus bregmatis et processibus orbitalibus ossis frontis tam per suturam quam cartilagine conjunctae. Inter alas magnas et parvas angulosque ossium parietalium anteriores inferiores foramen magnum, vel potius fissura, formatur stylo illo divisa. Quae duae fissurae amplae, oblongae magis quam rotundae figurae, fissuris orbitalibus inferioribus justo possunt comparari. (p)

Alae parvae in unum os sunt connatae, ut ne minimum suturae vestigium inveniatur; media parte foramina duo rotunda reperiuntur prioribus minora, quae opticis respondent. (q)

§. 7.

Ossium facialium descriptio.

Ossa maxillaria superiora (w) triangularia, processui nasali ossis frontis per cartilaginem mobilem annexa, haud parum a forma legitima abhorrent. Facies externa cujusvis ossis crista, a processu nasali ossis frontis exeunte, in partes duas dividitur, in maxillarem et orbitalem, priori multo minorem. Pars maxillaris seu facialis margine superiore arcuato per cartilaginem interpositam cum processu nasali juncta est, inferiore autem concavo ossa turbinata recipit. Ossa maxillaria ambo cartilagine firma interjecta (vv), cui ossicula formae haud distinctae insunt, separata, quae ossicula nasalium ossium rudimenta procul dubio dicenda sunt. Pars orbitalis ossi lacrymali solummodo juncta.

§. 8.

Ossa lacrymalia.

Pars solum orbitalis horum ossium adest, (x) cujus forma haud facile potest describi. Ossa ambo margine superiore cum processu nasali ossis frontis levi sutura, anteriore cum parte orbitali ossium maxillarium superiorum sutura firmiori, margine inferiore cum ossibus turbinatis per cartilaginem, posteriore tandem cum laminis osseis varii numeri formaeque incertae conjuncta sunt, quas cellularum ethmoidalium reliquias esse nobis visum est. (y)

§. 9.

Ossa turbinata

Seu conchae inferiores (z) a structura normali parumper abhorrent, introrsum concava et contorta; concha quaevis latera tria inter se diversa descriptioni offert. Latus externum convexum, marginibus tribus circumscriptum, parte superiore arcuata per cartilaginem cum margine inferiore ossis maxillaris superioris

et lacrymalis junctum est, posteriore vero et inferiore margine nullum init connexum. Latus inferius, priori minus, angulo solummodo anteriori cum cartilagine, ossibus maxillaribus superioribus interjecta, cohaeret. Latera interna horum ossium, perpendicularia et laevia, inter se paululum distant, quod spatium lamina cartilaginea, septum narium efformans, dividit. (α) *Vomeris* quoque rudimenta huic septo affixa vidimus. Cartilago a processu nasali ossis frontis inter ossa maxillaria superiora descendens paulo infra finem horum ossium, veluti bipartita, formam ossium intermaxillarium imitatur, (β) post vero in brevem exit canalem, externam narium aperturam efformantem, cui septum cartilagineum se adjungit.

§. 10.

Restat adhuc *maxillae inferioris rudimentum*, (δ et Figur. IV) quod ea regione affixum est, ubi pars basilaris ossis occipitis et sphenoidei cum petrosa ossium temporum portione coëunt. Mandibula ferrum equinum fere imitatur, crura autem ambo parum exculta, introrsum concava, (Confer Fig. IV. a) quoad longitudinem inaequalia sunt inventa. Tota maxilla inferior unguem digiti magnitudine non superat, ceterum per ligamenta ossibus supra recensitis ita est juncta ut motum haud omnino deneget. Ad latera hujus mandibulae *ossa styloidea* [1]) *(γγ)* duo ligamentis annexa conspeximus, satis firma, longitudine justa; haec ossa extremitate superiore processum obtusum efferunt, infra crassiora fiunt.

§. 11.

Sub calcem descriptionis capitis monstrosi moneamus: *os hyoides*, pharyngem, oesophagum, laryngem et tracheam structurae legitimae esse inventa, linguam autem prorsus deficere; reliquarum cavitatum disquisitio anatomica non est instituta. Ossium capitis sequentium rudimenta solum invenimus: Ossis ethmoidei, nasalium, vomeris, zygomaticorum, et maxillae inferioris. Ossa autem palatina, intermaxillaria, dentes plane desiderantur. Orbitae, cum zygomaticorum ossium rudimentum brevissimum solum inventum et ossa maxillaria superiora parum

---

[1]) Quo nomine Cuvier ossa vocat, quae cornua minora ossis hyoidei capitis basi affigunt. Confer Cari Zootomiam pag. 400.

exculta, non clausae sunt: processus orbitales soli osseum quasi tegmen formant. Oris cavitas nulla, nasalis quidem adest, sed partis palatinae ossium maxillarium superiorum et ossium palatinorum ipsorum defectu hiat, quae structurae anomalia ad summum lagostomatos gradum est referenda, ubi ossa palatum durum fingentia plane deficiunt. *(Wolfsrachen)* [1]) Capitis forma, cum aliquot saltem ossium facialium adsint, non globosa, quam formam calvaria sola exhibet, sed magis ovalis, typo normali similior est inventa.

CAPUT IV.

DESCRIPTIO SCELETI MONSTROSI OVIS RECENS NATAE.

§. 1.

Columna vertebrarum ex colli vertebris septem, dorsalibus quatuordecim composita est, quibus costae tredecim in utroque latere, septem scilicet verae et spuriae sex, sunt affixae, quae ossa una cum sterno nullam abnormen offerunt structuram. Ex ultima autem vertebra dorsali lumborum vertebrae duplices exeunt, in latere sinistro septem, in dextro autem numerus est incertus. His pelvis duplex et ossa sacra duo se adjungunt cum vertebris caudae in uno latere deorsum flexis, in altero sursum elatis. Pelvis sinistra secundum typum normalem conformata est, in dextra ossa pubis inter se non coëunt, quo fit ut foramen obturatorium sinistrum non clausum sit. Praeterea annotandum est canalem vertebrarum ultima dorsali vertebra foramine amplo finiri, neque per lumbales neque sacrales vertebras descendere. Extremitates anteriores nihil monstrosi habent, posteriores autem ex parte monstrosae sunt; quae pelvi sinistrae affixae sunt normalem typum prae se ferunt, quae vero dextrae pelvi sunt subjectae, deformes reperiuntur. Sinistra etenim seu interna pelvis dextrae extremitas ex ossibus sequentibus est composita: ex uno femore, ossibus tarsi duplici numero femori annexis, ossibus metatarsi duplicibus cylindricis, supra quidem connatis infra autem separatis: cuilibet horum ossium metatarsi phalanges digitorum duorum affixae sunt. Pedes duo ab uno femore descendentes, tibia (fibula) et patella

---

[1]) Vide Meckelii Anatomiam pathologicam Vol. I. pag. 522.

deficiente, justo breviores sunt, praeterea situs quoque ita mutatus est, ut facies posterior antrorsum sit flexa. Ovis ergo monstrosa septem pedibus instructa est.

§. 2.

Ossium capitis descriptio.

Omnes fere suturae hujus capituli plane sunt deletae, ita ut vix ac ne vix quidem singula ossa inter se dignoscantur, quapropter manca tantum descriptio exhiberi potest. Caput ipsum normali multo minus, latitudo enim maxima $1\frac{1}{8}$ pollicem, longitudo 2 pollices parisinos habet.

Os occipitis. Pars occipitalis (Tab. I Fig. V d) [1]) formae legitimae sutura lambdoidea cum ossibus bregmatis, margine inferiore cum parte squamosa ossium temporum, posteriore cum condyloideis partibus est conjuncta. Partes condyloideae cum occipitali parte et basilari ejusdem ossis et partibus squamosis ossium temporum per suturas nexae sunt.

Ossa bregmatis sutura sagittali inter se conjuncta, (e) lambdoidea cum parte occipitali ossis occipitis et squamosa temporum, coronali sutura cum parte frontali ossis frontis, margine inferiore cum alis magnis ossis sphenoidei. Transversorum ossium ne minimum quidem vestigium poterat detegi.

Ossa temporum parum exculta et expansa sunt; (k) pars squamosa in longitudinem protracta cum parte occipitali et condyloideis ossis occipitis, porro cum ossibus parietalibus et alis magnis ossis sphenoidei juncta est; partes petrosae vix conspiciuntur.

§. 3.

Os frontis a forma naturali maximopere differt. (f) Pars frontalis tuberum lateralium loco cristam habet semicircularem ad suturam coronalem positam aliamque perpendicularem, quae os totum extrinsecus in facies duas dividit. Margine semicirculari, (f*) orbitali simillimo, os frontis finitur, ex quo processus orbitalis brevis originem ducit, qui alis parvis ossis sphenoidei affixus est. Os ipsum, si cum reliquis comparaveris, satis magnum.

Os

---

1) Litterae hoc in capite ad explicandam figuram usitatae omnes ad quintam pertinent figuram.

Os sphenoideum. Corpus hujus ossis alis magnis obtectum conspici non potest. Alae magnae (g) in unum os conjunctae cristam semicircularem formant, cujus pars convexa antrorsum versa: in fine hujus cristae foramina duo vidimus, ovalibus comparanda. Alae magnae margine posteriore partibus squamosis ossium temporum, superiore parietalibus, anteriore alis parvis junctae sunt. Alae parvae et ipsae in unum os connatae margine posteriore alis magnis, antrorsum et in lateribus processui orbitali ossis frontis affixae. Prope ad marginem posteriorem medio osse foramen rotundum invenimus membrana praeclusum, quod foraminibus opticis in unum confluentibus analogon putavimus.

Maxillae inferioris rudimentum (h, Fig. VI) ea regione invenimus, ubi corpus ossis sphenoidei cum parte basilari ossis occipitis et ossibus temporum confluit, ferro equino haud absimile, ligamentis affixum; magnitudinem autem digiti unguis maxilla vix adaequat. Crura ambo fere regularia, laevia, subrotunda: spatium inter crura membrana occlusum, cui ossiculum formae incertae interjectum. Post mandibulae rudimentum posita sunt *ossa styloidea* duo (ii) membrana conjuncta, *os hyoides*, larynx cum trachea.

§. 4.

Capite examinato, quod *Walterus* [1]) mirifice monstrosum vocat, os ethmoideum et omnia omnino faciei ossa plane deficere pro certo habemus, excepta solum maxilla inferiore, cujus, ut supra jam dictum, rudimentum est inventum, quamvis idem *Walterus* l. c. maxillam plane deesse sit testatus. Cum ossa faciei non adsint processus quoque nasalis ossis frontis nullus est formatus, quo factum, ut margines ambo orbitales, processu nasali in capite normali divisi, in unum arcum confluxerint. [2]) Orbitae, ut facile inde sequitur, nullae inventae neque canalis nasalis.

---

1) Description. Musei anatomici Parte II. pag. 324 No. 1873.

2) Simile exemplum in vituli capite monstroso sine maxilla superiore nati, in quo vero inferior maxilla integra adest, ex Museo zoologico nuper in anatomicum translato observavi.

Alterum denique exemplum Rudolphi habet in libro: *Bemerk. aus dem Gebiete der Naturgesch. Arzneikunde etc.* 1. *Theil, Seite* 180. Capitulum est foetus cyclopis, secundum magnitudinem videtur canis aut felis esse. Os frontis inferiore parte in laminam exit perpendicularem, et cum ceteris calvariae ossibus cavum ubique cinctum efformat. Cavitas narium nulla extat, sicuti ossa omnia faciei desiderantur. In superiore ossis frontis superficie processus observatur figurae conicae, epiphysis. Quis non videt maximam cum capitulo agni descripti similitudinem? Lugeo autem vehementer quod nulla maxillae facta sit mentio.

CAPUT V.

DESCRIPTIO FOETUS HUMANI MONSTROSISSIMI.

§. 1.

Habitus externus.

Foetus masculus [1]) longitudine a summo vertice ad nates usque pollicum decem parisinorum, adspectus deterrimi, caput monstrosissimum anatomicae descriptioni offert. Occiput et vertex capillis tecta formam normalem prae se ferunt, in facie autem saccus magnus, ex interno calvariae cavo oriundus, integumentis capitis communibus investitus propendet. Saccus hic coloris cruenti a fonticulo magno incipit et ad colli finem descendit, strictura in partes duas divisus, quarum superior rotunda, capillis instructa massam continet mollem, inferior autem, cordis formam exhibens, duriore et cruenta materia impleta est. Longitudo sacci totius $5\frac{1}{2}$ pollices, latitudo vero 2 ad $2\frac{1}{4}$ usque pollices parisinos explet. Circumferentia hujus sacci tanta est, ut non solum os frontis, in foetu normali sutura frontali in duas partes divisum, disjungat, sed inter ossa quoque nasi prorumpat, quibus etiam affixus est. Ad latera sacci partes osseae tactu inveniri possunt, quae, si situm spectes et connexum cum maxilla superiore, ossa nasi omnino vocanda sunt. His in latere quovis cartilagineae partes annexae, coloris albidi integumentis communibus proprii, a sacci colore diversi, quae alas narium ruptas fissasque referunt (Confer Tab. II c). Oculi nulli conspiciuntur, orbitae ab integumentis capitis clausae, palpebrae superiores paulo longiores, ciliis obsitae, situ paene perpendiculari ad sacci latera sunt positae (a): inferiores nullae. Aurium externarum ne minutissimum quidem vestigium detegi potest, quarum defectus eo majorem attentionem commeretur, quo certius et in monstrosissimis hominum animaliumque foetibus aures externae inveniantur; earum loco cutis solummodo perforata est (b), quae tamen foramina specillo nullum ad internum auditus organon praebent accessum. Labium superius nullum est inventum, inferioris autem fissi rudimenta (f), quibus lingua bifida (e) affixa, in utroque linguae latere adsunt.

---

1) Foetus editus est anno praeterito sub hiemem prope Zizam Saxoniae urbem; mater primipara bonae valetudinis primis praegnationis mensibus talpam vidisse ajebat, qua perterrita fuerit; motus ceterum foetus proprii non sunt observati.

§. 2.

Maxilla superior eo a typo normali abscedit, quod non promineat, et pars facialis et palatina parum sint exсultae. Inferior maxilla neque visu neque tactu detegi potest: canalis nasalis nullus. Collum, thorax et abdomen a fabrica naturali non aliena sunt, funiculi umbilicalis abscissi parva pars ab umbilico pendet, testes in scroto nulli, anus ceterum apertus. Extremitates et superiores et inferiores valdopere monstrosae sunt. Superiores ambae inaequalis longitudinis, sinistra longior ab acromio ad ultimam digiti medii phalangem $5\frac{3}{4}$ pollices emetiebatur, dextra $2\frac{3}{4}$ pollices. Ossa carpi adesse tactu cognovimus, quae vero ossa longa deficiant, utrum os humeri an ossa brachii, certo constituere nequimus. Numerus digitorum in utraque manu legitimus, forma teretiuscula, ceterum normalis, longiori autem spatio digiti cute inter se juncti. Extremitates inferiores quoque inaequalis sunt longitudinis et situs: sinistra longior $2\frac{1}{4}$ pollices emensa, dextra $1\frac{3}{4}$ p. paris. illius planta deorsum spectat, calx prope ad nates posita, hujus vero planta versus abdomen directa, halux sursum positus, digitus minimus parte infima, calx nulla videtur. Numerus ceterum et forma digitorum et phalangum in pede utroque inaequalis: in sinistro enim pede quatuor solum digiti extant.

§. 3.

Internarum capitis et colli partium descriptio.

Integumentis capitis per incisionem ab infimo osse occipitis ad superiorem usque sacci propendentis partem factam remotis galeam aponeuroticam sacco, de quo pluries jam dictum est, velamentum praebere vidimus. Musculos occipitales et temporales loco justo positos conspeximus, frontalem vero nullum: saccus ipse, remotis integumentis externis fibras musculares non ostendit. Orbiculares praeterea oculorum musculos inferiore solum orbitarum parte e duobus stratis compositos detegimus, his larga tela cellulosa, adipe impleta, subjecta erat. Hos capitis musculos cultro invenire potuimus, cum caput ulteriore sectione, qua saccus laederetur ideoque externus habitus monstrosus depravaretur, perscrutari non licuerit, quare nunc ad ossa capitis transeamus. Os occipitis ossaque parietalia figurae, expansionis et conjunctionis legitimae silentio transgredimur.

§. 4.

Os frontis.

Pars frontalis, in foetu normali sutura frontali divisa, in hoc capite monstroso in duas partes late a se invicem distantes est disjuncta, cum ossibus ceterum parietalibus sutura coronali conjuncta. Margines orbitales arcuati, longitudinis consueta majoris, processus orbitales vero, qui orbitarum tegmentum superius formant, nulli inventi sunt; dextro solummodo latere partes osseas tactu cognovimus formae haud facile describendae, processuum orbitalium reliquias; nullus autem nasalis processus inventus. Orbitae cum ossa nasi inter se sint separata nec cum osse frontis, deficiente processu nasali, se conjungant sacco interposito, in unam cavitatem communem coëunt, quam membranae saccum magnum efformantes obtegunt. Orbitae cum sacci cavitate intime cohaerent, quod pressione demonstratur in saccum instituta, qua integumenta orbitas obvelantia valdopere tenduntur. *Ossa nasi* sacco protruso disjuncta adesse supra jam scripsimus, narium canalis ex eadem causa nullus.

§. 5.

Ossa temporum.

Pars squamosa parvae extensionis cum ossibus parietalibus sutura squamosa, pars mastoidea vero ossi occipitis juncta. Processus mastoidei parum exculti, styloidei quoque adsunt, zygomatici vero non distant ab ossibus temporum, uti in capite normali videmus, sed ossi superincumbunt et quasi agglutinati sunt, ita ut levis solum fossa superiore ossis parte iuveniatur. Verum nullus annulus acusticus nec tympani membrana inventa, cautissima harum partium disquisitione instituta.

§. 6.

Ossa zygomatica num adsint qualemve structuram maxilla superior habeat, quam supra jam breviter descripsimus, porro utrum deficiant ossa ethmoideum, sphenoideum, palatina, turbinata, vomer nec ne, certis verbis dicere nequimus ex causa paulo ante commemorata, quapropter vehementer lugemus mancam tantum descriptionem praebere nos posse.

Maxilla inferior accuratissima perscrutatione detegi non poterat, neque cavitates glenoidales in ossibus temporum sunt repertae. *Os hyoides* formae normalis paulo infra labii inferioris rudimentum positum est, huic lingua bifida et ligamentis et musculis affixa, quibus musculi vero ii deficiunt, qui ab inferiore maxilla oriuntur. Ossi hyoideo larynx cum trachea subjecta, legitimae quoque structurae, post quam oesophagus positus est.

§. 7.

Musculorum colli brevis descriptio.

Musculos colli sequentes antrorsum sub integumentis positos invenimus: *Platysma myoides* seu latissimum colli, quo demto *Sternocleidomastoideos*, quorum dexter ex partibus duabus constabat, ex Cleidomastoideo magna fibrarum copia formato, et Sternomastoideo a margine arcuato manubrii sterni oriundo. *Digastricorum* (maxillae inferioris) dexter una solum portione, a processu styloideo ad os hyoideum descendente, cornui majori affixus erat, alter vero sinister duas habebat portiones, quarum altera ab osse hyoideo ad inferiorem maxillam in capite normali, hoc in foetu autem monstroso ad labium inferius adscendens musculo orbiculari oris se admiscebat, cujus partem inferiorem, adjectis forsan et reliquorum in mento positorum musculorum fibris, conspeximus. *Omohyoidei*, tendinibus ad ossis hyoidei basin affixis, Stylohyoideorum tendinibus ita se conjunxerunt, ut musculi ambo unum fere musculum a scapula ad processum styloideum adscendentem in latere quovis effingere viderentur. *Stylohyoidei* a Digastricis non perforati [1]) tendinibus solum cum his cohaerebant, ossi hyoideo affixis. *Sternohyoidei*, *Sternothyreoidei* et *Hyothyreoidei* legitimae structurae sunt inventi. Ceteros colli musculos anteriores formae normalis et numeri consueti vidimus, posteriores, cum nihil vitiosi ostendant, describendos non judicavimus.

§. 8.

Sub finem adhuc indicandum est quidnam saccus ille magnus continuerit? Sectione hac de causa facta cerebrum ipsum suis velamentis cinctum sacco du-

---

[1]) Quae structura in mammalibus legitima invenitur. Confer. Cari Zootom. pag. 401.

plici inesse vidimus. Externa nimirum sacci portio a periosteo et galea aponeurotica, interna a dura menynge originem ducebat, inter quas membranas duplices inferiore sacci parte sanguis grumosus effusus erat. Non media solum parte saccum incidimus sed regione quoque orbitarum, nil vero aliud nisi cerebrum vidimus liquidum, coloris consueti, inferiore sacci parte subcruenti; bulbi oculorum nulli omnino sunt inventi. Ex his luculenter patet saccum illum *cerebri herniam* esse congenitam.

CAPUT VI.

DESCRIPTIO CASUUM TRIUM SIMILIUM.

§. 1.

Foetus humanus monstrosus.

Casus prior foetus est humanus, [1]) sexus sequioris, longitudinis justae, qui, excepto capite et extremitate superiore dextra, normalem conformationem ostendit. Caput ipsum parte posteriore et superiore legitime constructum in facie detram offert deformitatem. Oris enim rima perpendicularis, justo brevior, infra maxillae nullum vestigium, ita ut buccae inferiorem partem maxillae superioris tegant orisque labia proboscidis ad instar promineant. Canalis autem ab ossibus maxillaribus superioribus et musculis obtegentibus conformatur, qui tamen specillo introitum ad pharyngem praecludit. Oculi et nasus sine menda inventi sunt, aures vero deorsum et antrorsum protractae collo affixae haerent, quo loco maxilla inferior posita esse solet, meatus auditorii externi non occlusi. Externa solum contemplatione dubitare omnino licet utrum adsit maxillae inferioris rudimentum nec ne, nam tactu quoque nihil certi invenimus. Extremitas superior dextra tam brevior quam tenuior, manus introrsum torta quatuor tantum fert digitos; ulna et radius deesse videntur, reliquae autem partes naturales sunt inventae.

Latere dextro sectio est instituta, incidimus cutim et subjacentes musculos, cultro vero profundius penetrante pharyngem ipsum aperuimus. Facta pharyn-

---

1) Walterus in catalogo autographo, literis nondum mandato, sub No. 3083 brevibus verbis hujus foetus mentionem facit.

gis apertura eo usque ubi ossibus est affixus, invenimus *maxillae inferioris rudimentum* osseum, figurae saepius jam laudatae, (quod rudimentum illi valdopere aequale est, quod in catulo invenimus,) tela cellulosa anteriori pharyngis parieti affixum. Maxilla haec, condylis ad temporum ossa annexis, parum solummodo flecti poterat: situs erat talis qualis in catulo, convexa nimirum pars ad infra spectabat. Magnitudo vix unguem digiti quinti adaequat.

Quod conformationem ossium faciei attinet, cum canalem illum dissecare non liceret, ne habitus monstrosae faciei nimis laederetur, haec fere erat: Ossa temporum infra sibi invicem valde appropinquata erant, et cum osse sphenoideo et palatinis et maxillaribus superioribus connata. Externe ad aures foramina meatus auditorii externi quidem aderant, nulla autem tympani membrana in dextro latere detegi potuit: sinistro latere, quod integrum servare debebam, specillum foramini immissum in pharyngem sponte descendebat. Prope ad maxillae rudimentum masseteres ceterique canalem conformantes musculi cum maxilla superiore firmam ineunt conjunctionem, qua specillo introitus ad pharyngem impeditur. Os hyoideum nullum est inventum, neque lingua apparuit; larynx profundius quam solet regione manubrii sterni in conspectum venit, ceterum normalis conformationis. Reliquarum partium disquisitio anatomica praetermissa est.

§. 2.

Monstrorum prolixius descriptorum seriem casus duo similes, brevius autem describendi, sequuntur, quorum mentionem *Walterus* jamjam in Musei anatomici descriptione fecit. Caput agni recens nati [1]) ceteris partibus secundum typum normalem conformati describitur, cui maxilla inferior plane deficit. Cavitates glenoidales in ossibus temporum nullae inventae sunt, reliqua vero capitis ossa formae legitimae et numeri consueti adsunt praeter maxillaria superiora, quae incurva sibi valde appropinquata sunt.

§. 3.

His tertium denique casum similem adjungamus, monstrum horrendum humanum, [2]) cui caput globosum est capillis ubique longis bruneisque obsitum.

[1]) Description. Musei anatomici Parte II pag. 324 No. 1874.
[2]) Descr. Mus. anat. P. I. No. 3027.

Facies nulla, imo ne vestigium quidem frontis, oculorum, nasi et oris existit. Oblique antrorsum in hoc sic dicto capite ad colli latera duae aures pendent, formae singularis, meatus auditorius externus nullus. Maxilla inferior et huic monstro plane deficere videtur. Reliquas deformitates fere inauditas ex ipsis *Walteri* verbis pete.

CAPUT VII.

CASUUM ENARRATORUM ET INTER SE ET CUM SIMILIBUS COMPARATIO.

§. 1.

Ex capitibus praegressis videre licet classes duas deformitatum maxillae inferioris hac scriptiuncula enarratarum constitui debere, alteram ubi maxilla quidem adest, sed justo brevior, parva, structurae non legitimae, alteram ubi plane deest. Priori classi annumerandi sunt casus secundo, tertio, quarto capite et sexti §. 1. descripti, huic vero qui capite quinto et sexti §. 2. (et 3.) leguntur.

§. 2.

Classis prior.

Longitudo maxillae inferioris in quatuor exemplis vix digiti unguem adaequat, quare et ipse *Walterus* in agno secundo [1]) hoc rudimentum plane neglexit; nemo autem, ratione habita tam formae quam loci ubi affixa haeret, in dubium potest vocare sitne maxilla, nec ne. (Vide Tab. I. Figur. V et VI) Porro et forma et structura non legitima. Maxilla inferior in mammalibus maximopere differt ab humana [2]), deest enim mentum ovale prominens, signum generi humano characteristicum. Ex partibus duabus in animalibus composita est, synchondrosi antrorsum junctis, quae in nonnullis ad pubertatem solum, in pluribus vero per omnem vitam remanet. [3]) Rami duo maxillae in angulum acutum

1) Hoc enim nomine breviori agnum insigniemus, cujus descriptionem capite quarto exhibuimus, cum contra prior ille dicetur, cujus capite tertio historia est enarrata.

2) Vide Blumenbachii Anatomiam comparatam pag. 38 edit. 1815.

3) Vide eundem pag. 42 et Cari Zootomiam pag. 177.

tum coëunt, quadrumanis obtusius. In casibus autem supra recensitis neque partes duas synchondrosi junctas vidimus, neque angulum acutum: in catulo enim maxilla humanae capitis praegressi § 1 descriptae simillima, rotunda (Tabul. I Figura II), in agnis duobus ferri equini formam prae se ferebat (Fig. IV et VI). Ceterum in catulo et agno secundo et foetu humano maxilla haud excavata est, in agno vero priori cellulas et inaequalem omnino crurum formam et structuram ostendebat, quae in prioribus aequalia erant. In casibus tribus mobilis quoque inventa est; an in agno secundo quoque certo dicere non possum, quippe cum *Walterus* brevibus verbis descriptionem absolverit, verum conjicio.

§. 3.

Huic maxillae inferioris deformitati et alias faciei capitisque adjunctas invenimus structurae abnormitates; aut enim omnia ossa faciei plane deerant, uti in catulo et agno secundo, aut complura deficiebant. Inter calvariae ossa sphenoideum maxime a normali structura deflectebat, os vero ethmoideum [1]) et meatus auditorius externus [2]) in tribus detegi non poterat. Os frontis plus minusve deforme [3]), os occipitis autem et parietalia sine ullo vitio sunt inventa. Oculi [4]) tribus, duobus nasus, [5]) agno priori et foetui humano paulo ante commemorato lingua deerat. [6])

---

1) Confer Halleri Opera minora anatomici argumenti, de monstris pag. 30.

2) Num fortassis in capitibus maceratione praeparatis antea adfuerit nec ne, pro certo affirmare nequeo, in iis autem, quae ipse dissecui et perscrutatus sum, nullum omnino vidi.

3) Os frontis aut nullas omnino orbitas formabat, uti in catulo et agno secundo, aut orbitae aderant infra verum non clausae, uti in priori agno, ita ut oris nasique cavitas confluens etiam cum orbitis cohaereret, cujus vitii Meckelius mentionem fecit. (Anatom. pathologic. Vol. I pag. 522)

4) In catulo agnoque priori nullos vidi, num vero in agno secundo, cujus sceleton solum descriptioni offerebatur, oculi sint inventi nec ne, dicere nequeo. Ceterum confer § 5.

5) Catulo scilicet et agno secundo. Confer § 5.

6) Valde lugendum est, quod Walterus agnum secundum tam breviter descripserit, (forsan sceleton ipse non fecit.) Linguae defectus exemplum legitur *in den Breslauer Sammlungen* 1717. V. I Seite 85 conjunctum cum acephalia, spina bifida, oculorum, aurium defectu et extremitatibus abnormibus. Alium porro casum leges § sequentis parte altera et § 6 a Themelio descriptum. Confer etiam Hallerum l. c. pag. 30.

§. 4.

Exempla similis deformitatis.

Hujus deformitatis maxillae inferioris, eximiae scilicet parvitatis, exemplum in vitulo recens nato *Meckelius* narrat. [7]) Osseum palatum omnino deficiebat, maxilla parvitate eximia excellebat, fissura oris per temporum os et aurem externam ita se extendebat, ut haec in partem superiorem majorem et in inferiorem, priori minorem, sit divisa. Quis, quaeso, non videbit hoc vituli caput maximam cum agno priori alere similitudinem? Primum et in nostro casu et in illo agno palatum osseum plane deerat, (Confer Capit. III § 11) maxilla dein quam parvissima erat (§ 10), fissurae autem, quae in vitulo observata est aurem dividens, nullum in agno priori vestigium detectum.

Maximam vero attentionem secundus casus meretur agni monstrosi, cujus historiam nunc exhibebimus. [2]) Agnus neonatus praeter caput ceteris partibus formam habet naturalem; caput longitudinis justae, villis obtectum, primo intuitu nullam omnino maxillam inferiorem offert: prope ad nares parte capitis inferiore foramen observatur, quo canalis finitur a larynge oriundus. Aures duae pendulae regione articulationis maxillae inferioris ita inter se junctae, ut ex scapha unius ad alterius scapham fossa transiret: nullus inventus est meatus auditorius externus; ossiculum media inter aures parte tactu detegi poterat. Oris loco prope ad aures rima est inventa, quae in laryngem ducebat, lingua deerat: nasus ceterum oculi et omnis pars capitis superior naturalis. Facta incisione ossa maxillaria superiora visa sunt curvata sibi invicem valde appropinquata, dentibus instructa, musculis masseteribus inter se juncta, [3]) quibus partibus formatus est canalis supra descriptus. Pars ceterum palatina ossium maxillarium superiorum

---

1) Anatomiae pathologic. Vol. I. p. 523.

2) Hunc casum memoratu dignissimum humanitati Viri Experientissimi Dr. Reckleben debeo: sceleton ovis in Museo scholae veterinariae asservatur.

3) Similem casum pete ex §. 7; ejusdem quoque structurae proboscidem foetus humani Cap. VI. §.1 descripti inveni.

Huc pertinere videtur similis casus in lepore monstroso. Journal de Sçavans 1684 Novembr. et Blanque Biblioth. de Medecine Paris 1748 Tom. I. pag. 337.

Un Levreau d'environ 15 jours, dont la tête étoit sans yeux et sans gueule, avoit seulement un petit trou à la place de celle-ci, et quatre oreilles. Le Levrau étoit séparé en deux corps situés côte à côte l'un de l'autre, dont chacun avoit ses parties au nombre accoutûmé.

parte posteriore deerat, ossa quoque palatina plane deficiebant, vomer contra aderat. Inter aurium cartilagines maxillae inferioris rudimentum ferri equini formam exhibens loco consueto affixum inventum est, mobile, crura autem distincte prorsus dignosci nequibant, cum in unam coaluissent massam concavam: ad latera ossa styloidea, quibus os hyoideum affixum. Reliqua capitis ossa omnia figuram et expansionem normalem habebant.

Magnam casus hic similitudinem alit cum agno priori (et foetu humano §. 1. Cap. VI. descripto) ubi rima quoque oris loco observata est, aures ad collum positae, maxillae rudimentum ejusdem figurae, ubi lingua etiam et meatus auditorius externus desiderabantur, magis vero ad typum normalem hic agnus accedit quam ille, quem tertio capite descripsimus. Primo jam intuitu hoc agni caput cum illo quoque maximam habet similitudinem, quod sexti capitis §. 2. descripsimus, ubi omnia ossa normalia aderant, praeter maxillaria superiora, quae incurva sibi appropinquata, dentibus instructa, et forsan etiam masseteribus conjuncta erant, quod conjicio; ossa palatina non desunt, maxilla autem inferior teste *Waltero*. Ceterum conjectura haud omnino spernenda mihi videtur et in illo casu, a *Waltero* descripto, maxillae rudimentum adfuisse, quod, cum per parvum sit et mobile, ab indocto et parum accurato sectore facile cultro demi potuerit, (*Walterus* enim non omnia praeparata propria manu confecit) quae conjectura casu commemorato majorem veri similitudinem habere videtur. Quapropter casum sexti capitis §. 2. descriptum vix dubito, quin huc referam et his adnumerem, quorum maxilla justo brevior et structurae alienae est inventa.

§. 5.

Altera classis.

Unum solummodo exemplum habet, cui maxilla inferior plane deest, capite quinto descriptum; huic secundus casus se adjungit, cujus autem indagatio cultro institui non poterat. In monstro illo humano ne levissimum quidem maxillae vestigium est inventum, alia vero praeterea vitia complura insunt, ut: oculorum [1]) nasi [2]) aurium externarum [3]) labii superio-

[1]) Vide Meckelii anatom. pathologic. Vol. I. pag. 393. Confer etiam Halleri l. c. pag. 30 ubi veterum scriptorum loca invenies.

[2]) Idem liber Meckelii l. c. pag. 406.

[3]) Aures externae primo impraegnationis tempore embryoni omnino deficiunt. In animalibus quibusdam

ris [1]) defectus, inferioris fissura, [2]) lingua bifida [3]) etc. quae formae humanae vitia in inferioribus mammalium classibus inveniuntur ut formae naturales. Praegrandis denique encephalocele inter reliqua vitia eminet. Similem herniae cerebri casum, frontis regione propendentis, *Saxtorph* [4]) narrat, ubi vero saccus neque tantopere deformis neque tantae expansionis, quam in foetu nostro, inventus est. Magnam etiam cum casu nostro similitudinem excrescentia in foetu hydrocephalico habet, cujus historiam *Kelch* [5]) exhibet. Saccus radici nasi et orbitae dextrae affixus erat, formam quadratam, pollicis unius longitudinem et $1\frac{1}{2}$ latitudinem habebat, coloris brunnei, maximamque faciei partem obtegebat. Sectione sacci instituta neque cerebrum neque dura mater inventa, quamvis illa excrescentia per ossis frontis et ossium nasi dehiscentiam cum dura menynge cohaereret; telam contra cellularem continebat, ante vero aqua jam depluere coepit. Rariores omnino casus ii sunt, ubi cerebri herniae frontis regione prolapsae sunt, cum ossis occipitis defectu aut fissura plerumque in posteriore capitis parte prorumpant. Extremitatum tam superiorum quam inferiorum deformitates similes, qualis foetus noster monstrosus exhibet, complures jamjam sunt descriptae, quarum historiam pete ex *Mekkelii* [6]) anatomia pathologica.

---

eaedem quoque desiderantur, ut in trichecho, phoca, ornithorhyncho, talpa, sorice etc. vide Cari Zootomiam pag. 268. Aurium in foetu humano deficientium exempla exhibent recentiora: Oberteuffer in *Starke's neuem Archiv der Geburtshülfe B. II. Seite* 633 et Fritelli in Orteschi Giornale di Medic. T. III. pag 80. Conferas quoque Hallerum l. c. pag. 50. et Voigtelii anatom. pathologic. Vol. II. pag. 33 et seqq.

1) Walterus foetum sine labio superiore describit in Musei anatomici Parte I. pag. 120.

2) Casum esse rarissimum testis est Meckelius l. c. pag. 548; unicum solummodo casum laudat ex Ephemeridibus naturae curiosor. satis vero incertum.

3) Qualis amphibiis et phocis esse solet, vide Cari Zootomiam pag. 401. Exempla duo linguae in humanis embryonibus bifidae Meckelius congessit l. c. pag. 551. Primum Hoffmannus exhibet in *Starke's Archiv f. d. Geburtshülfe B. III. Seite* 700, secundum Dana in *Memoires de Turin* 1787 pag. 503, quae exempla aliorum quoque organorum vitia una offerunt. Tertium denique casum Leskius narrat in *auserlesenen Abhandlungen aus den philosoph. Transact. B. III. S.* 23.

4) Coll. Hafn. Tom. II. pag. 280. Tab. V.

5) *Beyträge zur pathologischen Anatomie.* 1813. *Seite* 93.

6) L. c. pag. 744, conferas quoque Hallerum l. c. pag. 51 et seqq.

§. 6.

Exempla similis deformitatis.

Deficientis maxillae inferioris exempla duo *Hallerus* [1]) laudat, quorum historiam prolixius exhibemus. Primum *Kerkringius* [2]) narrat, cujus verba ipsissima huc apposui: „Foetus quinque mensium editus est monstrosus, in quo potentia conformatrix corporis humani nusquam nisi in capite aberraverat, tam enim erat omnibus membris perfectus, quam imperfectus et inconcinnus capite. Dum adhuc carne ac cute degebatur maxilla carebat inferiore, pro illa carneam quandam substantiam cum superioris maxillae parte in rostri porcini speciem protendens; oculi ad latera recesserant. Jam vero reliquam deformitatem quis facile ex inordinata capitis figura collegerit, in quo os jugale nullum reperiebatur, nec inter os temporum et alia ulla apparebat distinctio. Fontanella praeter morem propemodum clausa, occipitis os exiguum admodum, non figuram quam oportet, non usum quem solet, osseae isti ollae, quae caput in humanam efformat concinnitatem, afferre poterat."

Alterum *Themelius* [3]) narrat monstri ovilli exemplum, quod per horas duas vixit. „Et corporis status et integritas omnium partium a collo fere ad pedes nihil a natura prae se ferebat abhorrens. Unicum caput mirum in modum ab ordine recedit, et in regione illa antica colli, qua cartilago thyreoidea conditur, tumor sat notabilis instar sacci vel strumae, tactui mollitie cedens, prominet: reliquum caput apparet deformosissimum, ita ut 1) nares ad proboscidem, ut ita dicam, quae ab ossibus maxillae superioris formatur, obliquo parumper situ hient, ne minimum 2) faucium hiatus sub ossibus maxillae superioris et inferioris aut etiam modo palatini apparet indicium, potius in angulo articulationis maxillae superioris cum inferiore utrimque oculi, naturalibus longe magis patuli et insigniores, protuberantes conspiciuntur. Maxilla autem inferior plane deficit, ubi loco ossium ejusdem aures insolito plane modo, introituque meatus auditorii plane clauso, accretae sunt, ita ut ne minimum vel oris vel palati, vel dentium vel linguae, vel narium hiatus vel gutturis, vel freni palatini vel tonsillarum, vel epiglottidis vel

---

1) Loco pluries citato pag. 30.

2) Opera omnia anatomica Lugd. B. 1717 Observatio 60 pag. 122.

3) Dissertatio de nutritione foetus, in fasciculo dissertatt. anatomico-medicar. recusa Amstelaed. 1764. pag. 125 seqq.

modo foraminis patescat vestigium. Aurium vero structura ab ordine non recedit, et nonnisi loco accretionis aberrat et quod meatus auditorius externus sit clausus." [1])

§. 7.

Tertium porro casum *Hallerus* ipse narrat [2]) agni monstrosi, verba auctoris apposui: „maxilla inferior huic agno penitus defuit; temporalis musculus et masseter dexter cum sinistro coiit, solaeque hae carnes oris caveam effecerunt. Pro lingua et osse hyoideo nihil adfuit nisi caruncula, stramine non latior unciamque dimidiam longa, quae palatinis ossibus adhaerebat fibrasque carneas ad os occipitis immitebat. Pharyngis ostium a vomere atque apophysi ossis occipitis ad sellam equinam tendente et ab osse hyoide natum nullam cum ore communicationem ostendit. In eo sacco, ut in pharynge solet, larynx fuit." Reliqua, quae ad nutritionem foetus spectant, omittimus. Quartum denique exemplum ovis recens natae monstrosae in Museo anatomico Lipsiensi vidimus. [3]) Maxilla inferior plane deficit, quapropter et oris cavum nullum adest, maxillae superioris forma normalis est. Pharynx, oesophagus, larynx parti basilari ossis occipitis affixa sunt. (Notandum vero est sceleton hoc ex longo jam tempore factum esse.) Similes omnino casus, ubi maxilla inferior in mammalibus praesertim domesticis deficere videtur, non sunt rarissimi, plerumque autem non satis accurate indagati, cum facilius negare quispiam possit adesse maxillam, quam incisione cauta et sine praejudicata opinione instituta maxillam justo breviorem et monstrosam invenire. Veteribus omnino super maxillae defectu observationibus haud multum confido.

§. 8.

Ex casuum omnium, quos hac scriptiuncula congessimus, comparatione maxillae inferioris parvitatem monstrosam cum triplici gradu deformitatum in ossibus capitis eorumque integumentis conjunctam invenimus, quos gradus sub calcem libelli breviter recensebimus.

---

[1]) Praeter viscera naturalia in cavitatibus retenta invenit auctor processum vermiformem longitudine pollicum duorum et quod excurrit in latere sinistro haerentem, nigricante materia satis infarctum; reliqua intestina collapsa, oesophagum ultra modum turgentem

[2]) Opuscula pathologica Venetiis 1755 Observatio 58 pag. 145. Hoc monstrum Müllerus Vinariensis medicus dissecuit, descripsit et iconibus illustravit 1733

[3]) Confer Librum Viri Experientissimi Dr. Cerutti, qui proximis nundinis in lucem prodibit: *Beschreibung der pathologischen Praeparate des anatomischen Theaters zu Leipzig.*

Gradus I. Omnia capitis ossa secundum naturae leges conformata sunt, loco cavitatis oris canalis ossibus maxillaribus superioribus et musculis masseteribus conflatus observatur, ad pharyngem et laryngem ducens: lingua et palatum molle ex parte deest. Aures insolito loco accretae, meatus auditorius externus mox clausus, mox patens. [1])

Gradus II in palati ossei defectu sistitur; ossa palatina plane desunt et pars palatina ossium maxillarium superiorum. Huic palati anomaliae et alia accedit orbitarum, quae fissae sunt et parte inferiore ossium maxillarium superiorum abnormi conformatione et zygomaticorum defectu non clausae. In hoc deformitatum gradu secundo aliquot jamjam faciei ossa deficiunt; oris auriumque eaedem deformitates. [2])

Gradus III. Ossa faciei omnia omnino desunt, ita ut totum caput nihil aliud sit, nisi osseum cerebri integumentum. Oculi nulli neque nasus, aurium idem habitus ac supra demonstratum. [3])

Maxillae inferioris defectus in capitibus invenitur a legitima conformatione haud parum abhorrentibus, cujus tamen deformitatis gradus certo omnino constitui nequeunt, quod in priori classe cum aliqua veri similitudine factum esse speramus, quippe cum casus plurimi tam manca et parum accurata descriptione gaudeant, ut omnia fere exempla, quae inveni, nihil hac in re me adjuverint. Ceterum ipse unius solum foetus, cui maxilla deerat, sectionem instituere potui, quae ipsa quoque non omnibus numeris est obsoluta, alterius vero casus a me commemorati examen institui non poterat.

1) Gradus primi exempla sunt: 1) caput agni altera parte § 4 Capitis VII descripti, ex Museo scholae veterinariae; 2) simile capitulum § 2 Capitis VI descriptum. 3) Foetus humanus, cujus descriptionem pete ex § 1 ejusdem capitis, ambo ex Museo Walteriano.

2) Secundi gradus exempla sunt: agni capitulum, de quo tertio capite scripsimus, alterum ovis recens natae, quod parte priori § 4 Capitis VII laudavimus ex Meckelii thesauro.

3) Tertii gradus exempla sunt: Catuli caput, quod secundo capite tractavimus, et agni, de quo capite quarto egimus.

CAPUT VIII.

EXPLICATIO TABULARUM.

Tabula I.

Figuras sex magnitudine naturali exhibet, quae secundo tertio et quarto capite sunt descriptae, et ad Classem primam deformitatum hac in scriptiuncula descriptarum pertinent, quae maxillas eximia parvitate excellentes amplectitur.

Figura I. Catulum exhibet neonatum, cujus caput solum forma gaudet abnormi.
a) Corpora sunt glandulis simplicibus haud absimilia, quorum in descriptione mentio est facta.
b) Rima profunda, quae ad pharyngem et laryngem ducit.
Reliquae partes descriptione non indigent.

Figura II. Caput catuli cum osse hyoideo, musculis demtis, offert.
a) Fonticuli magni portio anterior.
b. b) Ossa parietalia. c) Pars frontalis ossis frontis.
d. d) Processus orbitales ejusdem ossis, inter quos e) Musculus positus est §. 5 Cap. II. descriptus.
f. f) Foramina orbitalia dura menynge occlusa.
g) Alae magnae ossis sphenoidei inter se conjunctae. g*) Ossiculum mediae parti insidens rhomboideum §. 6 Cap. I. commemoratum.
h) Alae parvae inter se connatae, laminam mobilem efficientes.
i. i) Processus mastoidei. k. k) Bullae osseae temporum. l) Maxilla inferior.
m. m) Ligamenta stylohyoidea, quae in adultis ossa sunt. n) Ossis hyoidei basis.
o. o) Cornua minora. p. p) Cornua majora.

Figura III. Caput ovis recens natae ex latere dextro delineatum exhibet, capite tertio descriptum.
a) Pars occipitalis ossis occipitis. b) Linea semicircularis. c) Pars condyloidea.
d) Fossa condyloidea e) Foramen condyloideum posterius. f) Condylus.
g) Processus mastoideus. h) Pars squamosa ossis temporum. i) Os transversum.
k) Os parietale. l. l) Ala magna ossis sphenoidei altius adscendens, foramen habet, quod in sinistra non conspicitur.
m) Processus pterygoidei rudimentum. n) Foramen quod ovale esse videtur.
o) Stylus, qui a sella turcica oritur et in processus ensiformes expanditur, spinulas duas o* o*) proferens.
p) Fissura orbitalis inferior. q) Foramen opticum. r) Ala parva seu proc. ensiformis.
s) Ossis zygomatici rudimentum. t) Pars frontalis ossis frontis. u) Processus nasalis.
v. v) Cartilago inter ossa maxillaria superiora et conchas inferiores interjecta.
w) Os maxillare superius. x) Os lacrymale. y) Rudimenta cellularum ossis ethmoidei.
z) Concha inferior α) Septum narium cartilagineum. β) Rudimentum cartilagineum ossis intermaxillaris. γγ) Ossa styloidea. δ) Maxilla inferior.

Figura IV. Maxillam inferiorem agni ejusdem facie posteriore depictam exhibet;
a) locus est concavus.


Figura V. Caput ovis recens natae ex latere dextro offert, quarto capite descriptum.
a) Atlas. b) Ligamentum capsulare juncturae occipitis cum atlante. c) Foramen magnum.
d) Os occipitis. e) Os parietale. f) Os frontis. f*) Margo orbitalis. g) Os sphenoideum.
h) Maxilla inferior. ii) Ossa styloidea. k) Os temporum.

Figura VI. Maxillam inferiorem ejusdem agni ab anteriore facie delineatam exhibet magnitudine naturali.

Tabula II.

Foetum humanum monstrosissimum exhibet, de quo Capite quinto egimus, cui inferior maxilla plane deficit. Foetus hic paulo infra naturalem magnitudinem depictus est, capite in latus dextrum inclinato, ut oris hiatus, remoto paululum sacco propendente, videri posset.
a) Arcus superciliaris lateris sinistri distortus. b) Foramen meatus auditorii externi.
c) Pinna nasi sinistra. d) Oris hiatus. e) Linguae bifidae portio sinistra et dextra.
f) Labii inferioris fissi pars sinistra.
Reliquae corporis partes singulari explicatione non indigent.

Tab: II.



C. Weese. ad. nat. del.

F. Guimpel. sc.

Tab. I.

Fig. II




Fig. III.






Fig. IV.

Fig. I



Fig. V.






Fig. VI.

C. Weare ad. nat. del.

F. Guimpel. sc.